Skrifter utgifna af K. Humanistiska Vetenskapssamfundet i Upsala. V. 5.

DE TRIBUNICIA POTESTATE A L. SULLA IMMINUTA

QUAESTIONES

SCRIPSIT

J. M. SUNDÉN

UPSALA 1897
ALMQVIST & WIKSELLS BOKTRYCKERI-AKTIEBOLAG



Satis compertum est L. Sullam, quum dictator annis 673—4/81—80 reipublicae Romanae formam commutaret, duo inprimis secutum esse, ut tribunorum plebis potestas imminueretur et ut senatus augeretur firmareturque potentia et auctoritas. Tribunatus enim eo tempore summam in licentiam creverat adeoque civitati perniciosus evaserat, ut omni quieto reipublicae statui inimicus esse videretur. Eo res pervenerat, ut senatus principatum, quem optimis temporibus in republica habuerat, retinere non posset neque, ut antea, providere, ut uno et constanti consilio res civitatis administrarentur. Tribuni contra audacius semper et licentius rerum regimen ad se trahebant, contionibus multitudinis animos, quoquo volebant, impellentes et in conciliis plebis omnia ad suum arbitrium decernentes. Neque facile vim tribuniciam sustineri posse, ipse Sulla in primo consulatu (666/88) expertus erat, quum Sulpicius tribunus rogatione lata ei imperium belli adversus Mithridaten suscepti abrogasset ipsique vim minatus esset. Apparebat igitur id ante omnia ei curae fore in republica constituenda, ut nocendi vis ei magistratui adimeretur.

Sed ut hoc non dubium est, ita si ad singulas res examinandas quaestio traducitur, illud incertum atque in magna doctorum hominum contentione est positum, quid quantumque iuris de potestate tribunorum detraxerit. Nam scriptores antiqui, ut sunt de rebus temporum Sullanorum pauca et manca memoriae prodita, plerumque universe et infinite de hac re loquuntur[1], et

---

[1] Velut Cic. leg. 3, 9, 22 *Sullam probo, qui tribunis plebis sua lege iniuriae faciendae potestatem ademerit, auxilii ferendi reliquerit.* Vell. 2, 30 *Sulla tribuniciae potestatis imaginem sine re reliquerat.* App. B. C. 1, 100 τὴν τῶν δημάρχων ἀρχὴν ἴσα καὶ ἀνεῖλεν ἀσθενεστάτην ἀποφήνας. Alios locos vide apud Mommsen, Röm. Staatsrecht, II³, p. 307 adn. 1.

si qua finite magis et singillatim commemorantur, ea saepe eius modi sunt, ut quomodo intelligi debeant, in dubio esse possit; quamobrem haud mirum est recentiores scriptores varias inter seque diversas de ea re protulisse sententias. Velut quum Caear dicit [1] Sullam nudata omnibus rebus tribunicia potestate tamen intercessionem liberam reliquisse, forsitan aliquis coniecerit, id quod revera a Petero factum est [2], sic Sullam constituisse, ut tribuni cetera omnia iura amitterent, intercessionem plane talem, qualem antea habuissent, retinerent. Sed tamen constat neque cetera omnia iura Sullam iis ademisse neque intercessionem integram reliquisse, nam hanc quoque finibus angustioribus circumscripsit, etsi qui illi fines fuerint, non satis certe cognovimus. Sunt autem verba illa in contione, quam Caesar ad milites cohortandos animosque eorum incitandos habuit, dictumque illud vult, ab inimicis suis, qui tum Romae dominarentur, non solum suum honorem esse deminutum, sed etiam tribunis plebis tantas illatas esse iniurias, quantas ne a Sulla quidem accepissent. In oratione ita in invidiam eorum, in quos invehitur is qui dicit, exaggerata non sunt singula verba premenda, sed ex tota rerum cohaerentia et ex mente scribentis vel dicentis iudicandum, quantum iis sit in historia fidei tribuendum. Similiter ex loco quodam Cluentianae Ciceronis [3], ubi L. Quinctius tribunus plebis a. 680/74 primus dicitur post dominationem Sullanam populum ad contionem convocasse ibique de republica dixisse, multi sunt [4], qui collegerint Sullam tribunos iure contiones habendi privasse; revera autem nihil aliud his verbis significari necesse est, nisi fracta ac debilitata potestate tribunicia animum tribunos voluntatemque defecisse multitudinem, ut ante, concitandi, Quinctium autem primum silentium illud tribunicium rupisse pristinamque consuetudinem quodammodo revocasse; quae loci interpretatio haud scio an nunc plerisque probetur.

Sed de intercessione tribunorum deque eorum iure contio-

---

[1] Caes. B. C. 1, 7. cfr. 1, 5.

[2] PETER, Röm. Gesch. II [4], p. 122.

[3] Cic. Clu. 40, 110.

[4] Velut RUBINO, de tribunicia potestate, p. 34—36; REIN, Real-Enc. VI, p. 2112; DRUMANN, Gesch. Roms II, p. 484; BECKER, Handb. d. röm. Alterthümer, II, 2, p. 288.

nis sine dubio expeditior est diiudicatio; nam ne cogitari quidem potest neque tribunus plebis sine iure intercedendi neque sine iure contionis magistratus romanus, certe non is, qui ex maiorum numero erat aut maioribus illis honore atque iure quodam modo par. Difficilius est dictu magisque in controversia positum, quid Sulla de tribunorum potestate legum ferendarum constituerit quoque modo ius eorum circumscripserit rogatione lata et concilio plebis convocato plebiscita faciendi, quibus omnis civitas teneretur. Atque eorum, qui recentioribus temporibus de historia Romanorum et antiquitatibus scripserunt, antiquiores omnes in ea sententia fuerunt, ut Sullam hoc ius tribunorum sustulisse iudicarent[1], ad id obtinendum auctoribus maxime usi Livio (Ep. 89) et Appiano (B. C. 1, 59). Huius sententiae adversarius exstitit (1846) TH. MOMMSEN[2], qui Sullam negavit tribunis ademisse ius legum ferendarum, sed tantummodo ita id ius circumscripsisse, ut leges ferrentur de senatus sententia; cavisse igitur, ne tribuni leges ferrent, nisi ita, si senatus, antequam rogarentur, eas ratas habuisset. Eandemque sententiam tuetur atque defendit in libris, quos postea edidit, velut in inscriptionum latinarum corpore, in historia rerum romanarum, in libro de iure publico Romanorum[3]. Ad quod probandum maximo ei argumento est, quod etiamnunc in titulo quodam servatum exstare docet plebiscitum de Termessibus tribunis plebis nonnullis de senatus sententia rogantibus factum anno 683/71, i. e. eo tempore, quo leges Sullae atque instituta valerent necdum ad pristinum ius tribunicia potestas esset restituta. Et cum huius plebisciti testimonio coniungit, quod apud Appianum (B. C. 1, 59) scriptum legitur, Sullam lege cavisse, ne tribunis plebis liceret rogationes ad plebem ferre, nisi antea senatui probatae essent; ita enim ius tribunorum plebisque in legibus ferendis atque iubendis idem factum esse atque ante legem Hortensiam a. 467/287. Nam quod sententiae suae firmamentum in eo positum voluit, quod Cicero in descriptione magistratuum

[1] Velut DRUMANN, Gesch. Roms, II, p. 484, cfr 438 (in vita Sullae describenda); BECKER, Handb. des röm. Alterth. II, 2, p. 288; NIEBUHR, Vorträge über röm. Gesch. II, p. 383.

[2] Zeitschrift für die Alterthumswissenschaft. 1846, p. 105—7.

[3] C. I. L. I, p. 115; Röm. Gesch. II [8], p. 350, ubi argumenta eius brevissime comprehensa reperiuntur; Röm. Staatsr., II [3], p. 312.

romanorum, quam proposuit de leg. 3, 4, 10, haec de tribunis habet: *tribunis, quos sibi plebes rogassit, ius esto cum patribus agendi, idem ad plebem, quod oesus erit, ferunto.* apparet hoc argumentum non satis magnam vim ad persuadendum habere, neque ipse eam rem magno in discrimine videtur posuisse. Quae verba si per se spectantur, nihil probant aliud, nisi Ciceronem hoc ius tribunis concedendum putasse; quid autem Sulla fecerit, ne sic quidem certo argumento sunt, si cum hoc loco componitur eiusdem Ciceronis in libris de legibus de Sulla iudicium[1].

Argumentis a Mommseno allatis, fortasse etiam tanti viri auctoritate effectum est, ut haec sententia longe plurimis his temporibus probaretur. Namque eam amplexi sunt REIN, LANGE, HERZOG, KARLOWA, NEUMANN, WILLEMS[2], alii. Neque tamen desunt, qui adversentur, ZUMPT, PETER, IHNE, MADVIG[3]. Ex quibus unus Zumptius uberius contra disputare instituit, recte ille quidem in plerisque, quae quidem ab eo tractata sint, in nonnullis tamen, ut mihi videtur, minus feliciter nec sine incertis coniecturis. Quamobrem haud sine fructu erit fortasse, si quis dénuo in quaestionem rem vocaverit.

I.

Sullam tribunis ius legum ferendarum ademisse duabus maxime ex rebus colligitur, ex certo ac definito auctorum testimonio locis illis quidem paucissimis, ubi certe ac definite rem narrant, Liv. ep. 89 et App. B. C. 1, 59, et ex consideratione eorum, quae de condicione tribunatus, qualis per proximum decennium fuerit,

---

[1] Cic. leg. 3, 9, 22, quem locum supra attulimus p. 1, not. 1.

[2] REIN, Real-Enc. VI, p. 2112; LANGE, Röm. Alterthümer III [2], p. 126; HERZOG, Geschichte und System der römischen Staatsverfassung I, p. 512, cfr 502; KARLOWA, Röm. Rechtsgeschichte I, p. 228; NEUMANN, Geschichte Roms während des Verfalles der Republik I, p. 517—18, cfr. p. 607; WILLEMS, Le Sénat de la république romaine I, p. 104—5.

[3] ZUMPT, Criminalrecht der römischen Republik II, 1 p. 310 seqq., p. 433—6; PETER, Römische Geschichte II [4], p. 122; IHNE, Römische Geschichte V, p. 415—16; MADVIG, Den romerske Stats Forfatning og Forvaltning I, p. 202, 390—1.

memoriae sunt prodita. Atque ex auctorum testimoniis gravissimum sine dubio est id quod habet periocha Liviana; nam si ex locis, quales sunt ille Caes. B. C. 1, 7: »Caesar nudata omnibus rebus tribunicia potestate tamen intercessionem liberam reliquit«, nihil pro certo concludere licet, quum manifestum sit scriptorem rem in maius augere potuisse et revera auxisse, nihil tamen causae est, quin illud, quod plane et simpliciter dicit is, qui periocham scripsit Livianam, *potestatem tribunorum plebis minuit et ius omne legum ferendarum ademit*, ex narratione Livii recte excerptum sit[1]. Si vero Sulla non plane et aperte tribunos hoc iure privavit, sed ita, ut ambagibus quibusdam ad rem obtinendam uteretur, cur existimandum est aut Livium formam legis et perscriptionem non recte litteris mandasse, aut eum, qui periocham composuit, aliam scripturam substituisse, pro eo ut longe faciliorem simplicioremque viam eligeret veram exscribendi? Appianum vero (B. C. 1, 59) existimandum est tradidisse, Sullam concilia plebis sustulisse; sed quum hic locus haud dubie difficultatibus quibusdam laboret neque de eo interpretando omnes idem sentiant, ad eum infra redeundum erit.

Deinde vero de Sulla ita existimandum esse satis docet historia decem illorum annorum, qui secuti sunt. Nullam enim legem a tribunis rogatam videmus per totum illud temporis spatium, quo leges Sullanae et quae ille de tribunorum iure sanxerat immutata manebant. Ac tamen vix ullus praeteriit annus inde a dictatura a Sulla deposita usque ad consulatum Pompeii et Crassi, quum tribunicia potestas restituta est, quin tentatum sit, ut acta Sullae rescinderentur. Per id tempus tribuni ipsi acrius semper instabant, ut amissa sibi potestas redderetur; cuius rei statim peractis sollennibus, quibus exsequiae Sullae sunt celebratae, initium factum est. Nam tribuni mox Lepidum consulem adierunt (676/78), a quo uno in hac re aliquid sperare poterant, petentes, ut tribuniciae potestati restituendae daret operam, sed Lepidus tum videtur condicionem repudiasse, quamquam anno insequenti,

[1] F. Heyer, qui de periochis Livianis scripsit (Fleckeisens Jahrb. f. klass. Phil. 1875, p. 645 seqq.), quamquam eum, qui illas scripsit, non solum neglegentiae arguit, sed etiam interdum ea, quae a Livio essent narrata, corrupisse dicit, tamen plerumque eum iisdem verbis uti atque eum, cuius librorum summas composuit, et raro tantum de suo aliquid addidisse concedit (p. 651).

quum vi et armis res novas moliretur, inter alia hoc quoque se perfecturum pollicitus est. Anno 678/76 similia postulabantur a Sicinio tribuno, contra quem quum consules ab eo in contionem producti dixissent, consilium peremptum est. Postero anno 679/75 Qu. Opimius populum concitare perrexit; qui legem suasit a C. Aurelio Cotta consule latam, ut iis, qui tribuni fuissent, alios capere magistratus liceret, quod Sulla prohibuerat. Lex perlata est, qua re initium factum est ad pristinum rerum statum, qui ante Sullam fuerat, redeundi. Tum 680/74 comperimus L. Quinctium tribunum plebis enixe operam dedisse, ut et potestas tribunicia restitueretur et iudiciorum ratio ita, ut populares vellent, constitueretur abrogatis legibus Sullanis, sed ut a proposito desisteret, per L. Lucullum consulem adductus est. Insequens annus 681/73 C. Licinium Macrum tribunum plebis habuit; is suffragante C. Iulio Caesare, tum admodum iuvene, qui popularium causam amplexus est, auctor fuit tribuniciae potestatis restituendae, nec tamen quidquam profecit, etsi ad placandos alienatos hominum animos lege quadam frumentaria ab consulibus lata desideriis plebis satisfactum est. Denique acerrimus causae popularis propugnator exstitit plurimumque perfecit M. Palicanus tribunus plebis a. 683/71. Is rem eo adduxit, ut Cn. Pompeius, qui nuper ab Hispania victor redierat, causam tribunorum susciperet; quo factum est, ut lege postero anno 684/70 a Pompeio et Crasso lata iura omnia, quae ante Sullam habuissent, tribunis plebis redderentur [1].

Videmus igitur tribunos his decem annis summa ope laborasse, ut potestatem amissam recuperarent; videmus eos nobilibus magnum metum obtulisse ab iisque temptando, criminando, in iudicium vocando, quibusque aliis artibus id fieri posset, vexatos. Neque tamen a tribunis ultra contiones processum est, vehementissimas interdum ac turbulentissimas, sed rogationes tribunorum nullas cognovimus. Quidquid in hac re ad populum rogatum est, patricii semper magistratus rogaverunt; quod ipsum ut fieret, tribuni contionibus effectum volebant. Et Aurelia lex et

[1] Non opus esse duximus uniuscuiusque rei, de qua supra diximus, auctores antiquos afferre, sed legentes delegamus ad Drumannum, Langeum, alios recentiores scriptores, qui adscriptis antiquorum auctoritatibus res horum temporum composuerunt.

Pompeia de tribunicia potestate a consulibus rogatae sunt. Atque etiam ceterae leges, quibus commodis plebis consultum est, non tribunos habent auctores, id quod exspectandum erat et, si pristinus mos servatus esset, sine dubio factum esset, sed consules, ut Lepidi rogationes a. 676/78, ut lex Cassia Terentia frumentaria a. 681/73. Consulares quoque alias leges horum annorum cognitas habemus, legem Aureliam a. 679/75 a C. Cotta latam de iudiciis privatis, aliam legem Aureliam M. Cottae consulis a. 680/74, qua haec, quae superiore anno erat perlata, abrogata est, legem Corneliam a. 682/72 de pecunia, quam Sulla emptoribus bonorum remiserat, exigenda, eam quoque ad acta Sullana rescindenda pertinentem, legem Gelliam Corneliam eiusdem anni 682/72, qua Pompeio potestas civitatem dandi permissa est. Reperimus igitur, ut recte a Mommseno dictum est[1], leges consulares de minoribus rebus ad procurationem reipublicae pertinentibus, de quibus et ante id tempus et postea tribuni ad plebem ferre solebant.

Cur autem ita factum esse putamus? Quae causa est, ut consulares tantummodo leges habeamus, nullas tribunicias? Nullam profecto aliam invenire possumus, quam quod tribunis nullum erat ius legum ferendarum. Ac ne quis forte contra dicat, impedimento fuisse tribunis auctoritatem senatus negatam, quod ex legibus Sullae, nisi quod ante a senatu comprobatum esset, ferre non possent; ne consulibus quidem id licebat iniussu senatus facere sive lege sive more. Ipse Pompeius legem de tribunicia potestate promulgavit ex auctoritate senatus, etsi satis cognitum est haud libenter neque laetis animis senatores legem ferri passos esse. Eiusmodi de re scilicet inter factiones certatum est, et si aegre nonnumquam atque invito senatu impetratum est id quod postulabatur, vicit tamen vel potentibus hominibus gratificandi vel temporibus serviendi necessitas. Quod vero consulibus concessum esse scimus, cur non tribunis nonnunquam concedi potuit? Atque ea res qualis fuerit, satis manifesto declarat id, quod a. 680/74 factum esse Cicero narrat[2], L. Quinctium, acerrimum illum multitudinis concitatorem legumque Sullanarum adversarium, contionibus vehementissimis de corruptis iudiciis questum esse, populum rogationem postulasse, senatum rem

[1] Röm. Gesch. II[8], p. 351 adn.
[2] Cic. Clu. 49, 136—7.

non repudiasse, sed causa suscepta decrevisse, ut consules, quorum alter erat L. Lucullus, ea de re ad populum legem ferrent. Nimirum nulla postea lex lata est, nam ii, penes quos rerum regimen erat, nihil aliud quam rem discussam volebant totumque illud de iudiciis quaerendi consilium peremptum, simul atque invidiae ardor iraque populi defervisset. Sed quum res ita sint, cur non Quinctius ipse de senatus sententia legem fert? Apparet ideo tantum, quod id ei per leges Sullanas non licebat. Nullam igitur habebant tribuni potestatem legum ferendarum.

II.

Opponitur hic ab iis, qui contra sentiunt, plebiscitum illud de Termessibus anni 683/71. Certe hoc argumentum ad rem conficiendam plane sufficeret, si certum esset et exploratum hanc legem esse eo anno perlatam vel alio aliquo anno ante restitutam a Pompeio tribuniciam potestatem; haberemus enim legem tribuniciam eo tempore, quum Sullae leges valerent, latam et perlatam. Necesse est igitur diligenter examinare, quantum momenti hoc habeat argumentum.

Plebiscitum de Termessibus, cuius fragmentum haud exiguum servatum habemus in tabula aenea incisum[1], ut ex praescriptionis parte reliqua apparet, in concilio plebis factum est de senatus sententia rogantibus tribunis plebis, quorum tres nominantur, C. Antonius, Cn. Cornelius, C. Fundanius; apparet autem plures fuisse, sed ceterorum nomina videntur excidisse. Confirmantur ibi iura atque immunitates, quibus antiquitus utebatur Termessus maior, urbs Pisidiae, cuius incolae inde ab anno 565/189 amicitiam cum Romanis habuerant iisque a. 663/91 i. e. ante coeptum bellum Mithridaticum primum libertas immunitasque concessa erat. Hac igitur lege ita constituta est condicio rerum Termessensium bello Mithridatico tertio, ut quod ius quaeque consuetudo inter Romanos et Termessenses ante primum bellum Mithrida-

[1] C. I. L. I n:o 204, pag. 114. BRUNS, Fontes iuris romani antiqui, ed. IV, p. 85—7. Praescriptio legis est haec: *C. Antonius M. f. Cn. Cornelius . . . f. . . . C. Fundanius C. f. tr*(ib). *pl*(eb). *de s*(enatus) *s*(ententia) *plebem* (ioure rogaverunt) etc.

ticum fuisset a. 663/91, eodem iure eademque consuetudine in posterum uterentur. Cuius igitur anni hoc plebiscitum est? Apparet factum esse bello Mithridatico tertio et post kalendas Apriles a. 682/72, nam primis legis versibus cautum videmus esse, ut beneficia ibi concessa ad eos omnes pertinerent, qui ante eum diem cives Termessi fuissent quique ab iis prognati essent posterosque eorum. Sed quo anno? Si Mommseno credimus iisque, qui cum eo stant, a. 683/71, idque duabus de causis.

Legem, inquit, haud multo post kal. Apriles 682/72 esse rogatam necesse est, quia inter eum diem et diem latae legis non maius spatium intercessisse consentaneum est, quam quo impediretur, ne propter exspectationem legis mox ferendae homines a Termesso alieni in eam civitatem adscripti ad commoda illa pervenirent. Hoc non satis perspicue dictum esse haud iniuria mihi Zumptius[1] videtur monuisse; certe nihil habet haec conclusio necessitatis. De statu rerum Termessensium, qualis in bello Mithridatico fuerit, nihil quidem compertum habemus, propter quod legem ad certum aliquem belli annum referamus; nam quod fuso Mithridate regnoque privato per hiemem anni 684/70 Lucullo aliquid a bello quietis datum est, quo ad res Asiae componendas uteretur[2], vix inde certi quidquam colligitur ad tempus legis definiendum. Sed apparet ideo sic lege cautum esse, ne ii, quibus lege consultum noluerunt, beneficia Termessensibus tributa ad se traherent. Si ita est, aeque facile cogitari potest atque etiam verisimilius est, paullo longius intercessisse tempus, per quod homines externi — quibus de causis scire nimirum non possumus — facultatem nacti in urbem immigrandi iura immunitatesque eius civibus impertitas in suam utilitatem convertere potuissent, eosque lege lata huius beneficii expertes factos esse. Praeterea in eodem plebiscito paulo infra (I, 21) — si recte locum mancum viri docti suppleverunt — commemoratur lex quaedam Gellia Cornelia a. 682/72, lex consularis de iisdem Termessensibus lata, ad quam legem nonnulla, quae habet plebiscitum Antonium, referuntur. Res autem Termessensium duabus legibus duobus deinceps annis latis constitui opus fuisse vix cre-

[1] l. c. p. 433.

[2] Zumpt, l. c. p. 435. Wehrmann, Zur Geschichte des römischen Volkstribunats p. 22.

dibile est; verisimilius sine dubio paullo longius tempus esse interiectum. Eademque de causa videtur eorum sententia improbanda, qui in eundem ipsum annum 682/72 plebiscitum Antonium collatum volunt [1].

Deinde vero C. Antonium M. f., qui inter legis latores primus scriptus est, haud facile alium fuisse ait Mommsen quam C. Antonium eum, qui Ciceronis collega in consulatu fuit, filium M. Antonii oratoris illius nobilissimi triumvirique patruum. Si ita est, inquit, consul fuit a. 691/63, praetor 688/66, itaque servato legitimo in magistratibus fungendis intervallo tribunus potest fuisse a. 683/71. Recte sine dubio, sed haud minus recte potest fuisse tribunus a. 684/70 aut 685/69 aut etiam 686/68: nam biennium illud, quod inter diversos magistratus intercedere debebat, ita interdum definiebatur, ut qui tribunus fuissset a. 686/68, praetor esse posset a. 688/66 [2]. Tamen ut haec ratio constet, necesse est Antonium non fuisse aedilem. Nam si aedilis fuit, necesse est eum hunc magistratum gessisse a. 685/69, et si tum fuit aedilis, tribunus plebis post a. 683/71 fuisse non potest. Aedilem eum fuisse plerique videntur pro vero sumere [3], mihi vero, ut Zumptio, id valde dubium videtur. Ita cur credatur, tres tantum loci afferri possunt, Cic. Mur. 19, 40. Plin. H. N. 33, 53. Val. Max. 2, 4, 6, quibus omnibus locis apparatissimos magnificentissimosque ludos eum fecisse traditum est. Unde illa quidem maxime in promptu est suspicio eum hos ludos aedilem fecisse. Sed a. 685/69, i e. eodem anno quo Cicero, certe curulis aedilis non fuit, Cicero enim in aedilitate collegam habuit M. Caesonium; neque recte Drumannus, quod ex loco Murenianae Ciceronis illud appareat eum serius quam Ciceronem ludos suos fecisse, aedilitatem eius post a. 685/69 coniecit, nam illud fieri non potest, nisi eum existimemus legibus fuisse solutum, ita ut ei remitteretur legitimi intervalli necessitas, quod cur factum sit nulla est causa. Sed

---

[1] Velut Dirksen, qui hanc legem commentario explanavit (Versuche zur Kritik und Auslegung der Quellen des römischen Rechts p. 158); Lange, Röm. Alt. II, p. 647, 683; is qui de hac lege scripsit Pauly's Real-Enc. IV, p. 961, alii.

[2] Vide Mommsen, Röm. Staatsr. I³, p. 534.

[3] Velut Drumann, l. c. I, p. 553, V, p. 329; Haakh, Real-Enc. I, p. 1172; etiam Mommsen, Zeitschr. f. die Alterthumswiss. 1846, p. 106, ceteris autem in scriptis de aedilitate eius nihil dicit.

revera nullo modo necessarium est statuere, Antonium ludos suos fecisse aedilem; potest etiam fecisse in praetura, praetoris enim urbani erat ludorum Apollinarium cura.

Quae autem Antonio iuris dicendi vel quaerendi provincia in praetura obvenerit, haud certis quidem testimoniis cognitum habemus. Si certum esset, id quod vulgo existimant, praetores fuisse omnes eos, qui apud Ciceronem in Cluentiana [1] dicuntur quaestionibus praefuisse, M. Plaetorium, C. Flaminium, M. Ciceronem, C. Orchivium, C. Aquilium, adiecto ex Asconio [2] sexto praetore P. Cassio, cuius quaestio erat de maiestate, efficeretur Antonium nulli quaestioni praefuisse, sed alteram utram habuisse iurisdictionem. Sed dubitationis aliquid inde exoritur, si duo ex iis, Flaminium et Plaetorium, non praetores, sed iudices quaestionis inter sicarios quaesisse existimandum est [3]; quamquam sic mirum quodammodo videtur illa sicae et veneni iudicia aut in tres quaestiones distributa fuisse, quarum nulli praetor praeesset, aut in quattuor, si unam praetoris fuisse putamus. Sed utut hoc est, ex loco illo Murenianae (19, 40), si ipsorum verborum pondera diligenter examinamus, recte videtur colligi posse, non solum serius quam Ciceronem ludos Antonium fecisse, sed etiam ludos fecisse praetorem. Ibi enim comparatio fit, utri ex duobus candidatis maior spes fuerit consulatus adipiscendi, L. Murenae an S. Sulpicio Rufo, ex quibus Murena aedilis non fuerat, sed praetor magnificentia ludorum conspicuum se fecerat, Sulpicius neque aedilitate functus erat neque in praetura ludos ullos fecerat. Tum Cicero, *delectant*, inquit, *homines, mihi crede, ludi, etiam illos qui dissimulant, non solum eos qui fatentur; quod ego in mea petitione sensi. Nam nos quoque habuimus scenam competitricem. Quod si ego, qui trinos ludos aedilis feceram, tamen Antonii ludis commovebar, tibi, qui casu nullos feceras, nihil huius istam ipsam, quam irrides, argenteam scenam adversatam putas?* Apparet multo magis commode inter se comparari Antonium et Murenam, si statuamus utrumque ludos suos fecisse in

[1] Cic. Clu. 53, 147.

[2] Asc. arg. Corn. p. 52 Kiessl.

[3] Mommsen, Röm. Staatsrecht II [3], p. 588, adn. 2 (Cfr Röm. Münzwesen p. 623 adn. 453 et p. 616 adn. 440, ubi eos praetores fuisse censet) et Wehrmann, Fasti praetorii p. 48 et 50.

praetura, et quid attinuit addi Ciceronem trinos ludos fecisse *aedilem*, nisi ea inesset sententia, Ciceronem aedilem ludos fecisse, Antonium non item? Ego, inquit Cicero, hac re te superior eram, quod trinorum ludorum munere cupiditatem populi expleveram, aedilis ego quidem, neque ut ille in praetura, neque tanto apparatu tantoque sumptu, sed tamen causa mihi erat timendi, ne ex sententia res non eveniret propter elegantiam ac splendorem ludorum Antonii; quanto maius inter te et Murenam est discrimen?

Itaque si Antonius aedilis non fuit, nulla est causa, quin tribunatus eius in annum 684/70 conferatur aut in aliquem eorum, qui proxime secuti sunt. Neque si compertum habemus, eundem Antonium a. 684/70 a Gellio et Lentulo censoribus senatu motum esse [1], inde concludendum est non posse eum illo anno tribunum fuisse; nam constat eos quoque, qui in magistratu essent, notae censoriae ignominia affici potuisse, neque desunt exempla, quamquam nimirum haud multa sunt, e senatu eiectorum vel in legendo praeteritorum non modo aliorum magistratuum [2], verum etiam tribunorum [3].

Aliud vero idque firmissimum mihi videtur afferri posse argumentum, cur Antonium a. 683/71 tribunum non fuisse putemus, sumptum ex alio quodam titulo brevissimo, praeterea ne eo quidem plene servato [4]. Ex eo cognoscimus L. quendam Volceium vel Volcatium vel Vinicium — nomen enim ipsum praeter primas litteras excidit neque legi potest — curatorem viarum, sive aquarum fuit, ex lege Visellia opus quoddam viae muniendae per-

[1] Asc. in tog. cand. p. 75 Kiessl.

[2] Velut praetorem eiectum a. 580/174 narrat Liv. 41, 27, 2. Cfr. Liv. 28, 18, 4, ubi quaestor a. 540/214 a censoribus equo adempto tribu motus aerariusque factus traditur.

[3] Duo saltem exempla habemus, unum Cn. Tremellii a. 586/168 (Liv. 45, 15, 9), alterum C. Atinii Labeonis a. 623/131 (Liv. ep. 59. Cic. de dom. 47, 123. Plin. H. N. 7, 44, 143). Praeterea Dio Cassius (40, 63) auctor est Appium Claudium censorem a. 704/50 voluisse C. Curionem tribunum plebis senatu movere, sed a collega esse prohibitum, idemque narrat (37, 9) censores anni 690/64 ne senatum legerent, a tribunis prohibitos esse metuentibus, ne ipsi eicerentur.

[4] C. I. L. I, N:o 593, p. 171—2. Titulus est hic: *L. V.....* (trib. pl.) *cur. viar. ex lege Visellia de conl. sent. Cn. Corneli, Qu. Marci, L. Hostili, C. Antoni, C. Fundani, C. Popili, M. Valeri, C. Anti, Qu. Caecili. Opus constat n. viginti uno milibus septuaginta duobus.*

fecisse, idque factum esse de collegarum sententia; simul cum eo in titulo scripta sunt novem horum collegarum nomina, Cn. Cornelii, Qu. Marcii, L. Hostilii, C. Antonii, C. Fundanii, C. Popilii, M. Valerii, C. Antii, Qu. Caecilii. Atque ex iis nominibus, quae hic leguntur, tria sunt eadem atque tria illa, quae in praescriptione plebisciti de Termessibus habemus. Hinc Mommsenus satis acute conclusit et decem illos, qui in hoc titulo enumerantur, fuisse tribunos plebis, ex quibus unum habuisse curam viarum, et tribunos plebis, de quorum sententia illud opus perfectum est, eosdem fuisse atque eos, qui de Termessibus rogationem tulerunt; quamobrem ex hoc titulo supplendos esse censuit tribunos, quorum in plebiscito Termessensi nomina desunt [1]. Neque dubitandum videtur, quin hoc recte conclusum sit. Quod si ita est, si ab his tribunis plebis, vel nonnullis vel omnibus, lex lata est, non possunt fuisse tribuni a. 683/71; nam inter eos non est M. Palicanus, quem tamen certis testimoniis confirmatum est eo anno tribunum plebis enixe dedisse operam, ut tribunicia potestas restitueretur, eundemque Pompeium ad rem suscipiendam impulisse et ei contionem dedisse, ut in hac re populo se gratificaturum ostendendi ei locus esset [2].

Iam vero Palicani tribunatus annus vix alius esse potest, quam 683/71 [3], id quod nunc plerique existimant. Constat enim eum et extremo anno 682/72 et extremo anno 683/71 tribunatum gessisse, quod ita demum fieri potest, si eum a. d. IV id. Dec. prioris anni magistratum inisse et a. d. V id. Dec. posterioris deposuisse statuimus. Decembri mense a. 682/72 Cicero auctor est [4] eum tribunum plebis in contione questum esse de iniuria Sthenio Thermitano Siculo illata, qui causa indicta a Verre rei capitalis damnatus esset. Cogitari quidem potest, eam Palicani contionem ante solitum tribunatus deponendi ineundique diem

[1] Ceterum quae docuit de cura quadam viarum ex lege Visellia tribunis plebis demandata, praetermittere possumus, quippe quae ad rem, quam nos tractamus, nihil habeant momenti.

[2] Cic. Verr. I, 15, 45. Pseudo-Asc. p. 103, 148 Or.

[3] Cfr Drumann, l. c. IV, p. 387 adn. 78. Neque dubium videtur, quin a vero aberraverint et ii, qui, ut Rubino de trib. pot. p. 16, Willems l. c. I, p. 457, ei annum 682/72, et ii qui, ut alii ab eodem Rubinone commemorati, annum 684/70 attribuerunt.

[4] Cic. Verr. II 2, 41, 100.

habitam esse, sed credibilius est et ordini rerum, qualis a Cicerone exponitur, magis conveniens esse post hunc diem habitam, quum kalendis Decembribus Sthenius iudicio esset condemnatus[1]. Rursus anno 683/71 extremo tribunum plebis eum fuisse testimonio est Pseudo-Asconius (l. c.), qui dicit eum contionem advocasse, ubi Pompeius consul designatus se tribuniciam potestatem restituturum ostendit. Necesse est igitur hanc posteriorem contionem, cuius Ciceronem quoque auctorem habemus, habitam esse primo mense Decembri ante tribunatus deponendi diem. Atque omnino quidquid Palicanus operae industriaeque in hanc causam contulit vel multitudinem instigando vel senatum exagitando vel Pompeio rem commendando, id omne hoc anno factum esse existimandum est. Nam postero anno, ne quis forte tum tribunatum eius gestum velit, nulla opus erat multitudinis concitatione; quum Pompeius semel causam tribunorum suscepisset, nullam esse penes senatum ad resistendum vim facile apparebat. Praeterea huic temporis definitioni facile conciliari potest id quod narrat Valerius Maximus (3, 8, 3), C. Calpurnium Pisonem consulem a. 687/67 Palicano, tum consulatum petenti, omnem eius magistratus adipiscendi spem praecidisse negando se, si suffragiis populi creatus esset, eum renuntiaturum. Nam ut lege ei liceret a. 688/66 consulem fieri, debebat 685/69 praeturam gessisse, quod tum quoque fieri potuit, si tribunus plebis fuit a. 683/71.

Quo autem anno hi legis latores, de quibus diximus, tribuni fuerint, non audeo pro certo ponere. Tribunorum, qui annis 684/70, 685/69, 686/68 fuerunt, nulla, quod sciam, nomina habemus ex aliis auctoribus cognita; nisi quod Cicero in Pompeiana[2], ut exemplis doceat eos, qui tribuni plebis fuissent, anno proximo legatos esse potuisse, quattuor tribunos nominat, C. Falcidium, Qu. Metellum, Qu. Caelium Latiniensem, Cn. Lentulum,

---

[1] Quod Rubino (l. c. p. 17 adn. 3) ante Decembrem mensem id esse factum putat, quia litterae patris Verris, quae ante kal. Dec. ad Verrem in Siciliam pervenissent, post illam contionem scriptae essent, non ita est; neque enim dicit Cicero patris litteras ante kal. Dec. scriptas de hac Palicani contione aliquid habuisse, sed tantum de iis, quae in senatu de causa agitata essent, filium iis litteris certiorem factum.

[2] Cic. de imp. Cn. Pomp. 19, 56.

quos haud multo ante a. 687/67 tribunos fuisse credendum est. Neque eorum, qui in titulo illo C. I. L. I N:o 593 inveniuntur, quamquam gentium sunt ceteroquin notarum, praeter C. Antonium quisquam est, cuius de honoribus postea gestis ceterisque vitae casibus quidquam vel certum vel satis probabile statuere possimus, nihil certe quod ad eorum tribunatus annum certius explorandum aliquid afferat adiumenti. Qu. Caecilium Mommsen coniecit[1] esse eum Caecilium Metellum Celerem, qui quum in Asia Pompeii legatus fuisset, a. 691/63 praetor, a. 694/60 consul factus est, cuiusque et in coniuratione Catilinaria opprimenda et in cetera republica administranda praeclaram operam Cicero compluribus locis laudat; praeterea is esse potest, qui a Cicerone in Pompeiana nominatur Qu. Metellus. Haud aeque probabilis mihi videtur coniectura Willemsii[2], Cn. Cornelium fuisse Cn. Cornelium Lentulum Marcellinum eum, qui quum fuisset legatus Pompeii in bello piratico, postea alios gessit magistratus et consul factus est a. 698/56, praeterea oratorem haud mediocrem et qui ut Siculorum causae patronus et adiutor a Cicerone in Verrinis magno cum honore nominatur[3]. Nam ut plebeium eum fuisse, non ut ceteros Lentulos patricium, eo quodammodo confirmari videatur, quod fuit septemvir epulonum[4], quod sacerdotium, si Mommseno credimus, liberae reipublicae temporibus plebeii tantum habebant, tamen si anno 684/70 tribunus fuisset vel tribunatum petisset, vix credendum est Ciceronem illud in Verrinis commemorare omissurum fuisse. Quod vero dicit idem fuisse eundem, quem Cicero in Pompeiana Cn. Lentulum appellat, haud negaverim, quamquam nihil inde efficitur, quo anno fuerit tribunus plebis. C. autem Antius potest esse is C. Antius Restio, qui legem sumptuariam tulit[5]; quam legem haud ita multis annis post Sullam latam in haec ipsa tempora incidisse haud incertum est. Ac si credi posset recte in hac re vidisse Langeum, qui suspicatus est[6] legem Antiam esse la-

[1] C. I. L. I, p. 172.

[2] Willems l. c. I, p. 444.

[3] Cic. Div. 4, 13. Verr. II, 2, 42, 103. 4, 24, 53.

[4] Cic. har. resp. 10, 21.

[5] Gell. 2. 24, 13. Macrob. Sat. 3, 7, 16 Eyss.

[6] Lange, Röm. Alt. II, p. 671. III, p. 199.

tam a. 684/70, propterea quod eo anno censores in civitate fuerint, a quibus impulsus tribunus aliquis facile existimetur legis sumptuariae auctor exstitisse, haberemus certe, unde profecti annum legis definiremus; haec vero coniectura, quamvis per se haud improbabilis sit, non in tam firmo fundamento videtur mihi posita, ut aliquid pro certo affirmare ausim. Neque omnino id nobis proposuimus, ut ipsum tribunatus eorum legisve eius annum finiremus; id tantum probatum voluimus, non esse eum annum ante restitutam tribuniciam potestatem ponendum[1].

Itaque ut rem brevi comprehendam, de plebiscito illo de Termessibus duo docuisse nobis videmur, et ea, quae de consilio ac voluntate legis cognita habemus, nihil afferre necessitatis, cur in annum 683/71, id quod nunc plerique credunt, lex coniciatur, et ea, quae de latorum tempore coniectura assequi possumus, ita esse comparata, ut diligentius rem consideranti satis appareat illos, qui legem tulerunt, eo anno non fuisse tribunos. Haec si ita sunt, neque superior annus satis probabilis videtur, sequitur legem postea demum latam esse eo tempore, quum tribuni pristina per Pompeium potestate recuperata rursus ius legum ferendarum haberent.

III.

Langeus autem, hoc uno plebisciti de Termessibus testimonio non contentus, alias quoque leges sibi invenire visus est, quas inter hoc decennium a tribunis plebis rogatas censeat, sed, ut facile apparet, infirmioribus etiam rationibus ductus. Quae quidem leges in id tempus conferri possent, si certum esset ac probatum tribunis tum fuisse legum ferendarum potestatem, sed nulla est eas in id tempus conferendi necessitas, si aliae contra pugnant rationes. Praeterea ut possunt eae esse tribuniciae leges, ita a tribuno rogatas esse nullo modo necessarium est.

---

[1] Wehrmann, (Zur Geschichte des römischen Volkstribunats. Progr. Stettin 1887, p. 21—22) hos tribunos a. 684/70 fuisse iudicat, sed quia de tribunicia potestate eorum sententiam sequitur, qui tribunis ius quoddam legum ferendarum a Sulla concessum putant, modo de senatus sententia ferrent, plebiscitum illud de Termessibus aut extremo anno 683/71 aut initio anni 684/70 factum censet ante restitutam a Pompeio tribuniciam potestatem.

Quarum legum prima est lex Plautia de vi, quam ille a. 676/78 latam esse censet a Plautio quodam tribuno plebis[1]. De hac lege et quae inter eam et aliam legem ei similem Lutatiam intercedat ratio, revera plane nihil certi compertum habemus; eo magis inter se variant doctorum hominum sententiae[2]. Ac de tempore eius id tantum pro explorato haberi potest, latam esse ante a. 691/63, nam tum primum cognovimus iudicium lege Plautia esse exercitum, quum Catilina ea lege interrogatus est a L. Paullo[3], et postea aliquoties eius mentio fit. Neque plus cognovimus de lege Lutatia, quae a Cicerone duobus locis[4] commemoratur. De tempore harum legum alii sic iudicant, Plautiam legem fuisse M. Plautii Silvani trib. pl. a. 665/89, eiusdem qui legem iudiciariam tulit et simul cum C. Papirio Carbone legem Plautiam Papiriam de civitate sociis danda, Lutatiam vero habuisse latorem Qu. Lutatium Catulum consulem a. 676/78. Ac de Plautia quidem dubitari potest; Lutatiae de tempore recte esse iudicatum documento est, quod ait Cicero[5], eam legem Qu. Catulum armata dissensione civium reipublicae paene extremis temporibus tulisse. Quae rerum descriptio in annum 676/78 et seditionem a Lepido motam bene convenit satisque verisimile videtur Catulum, qui tum nobilium princeps pro causa senatus propugnabat, eo anno legem eiusmodi tulisse. Alii vero, auctore maxime Sigonio[6], negant legem Lutatiam ullam fuisse separatam, sed esse latam legem una cum Plautio quodam tribuno plebis, homine ceteroquin plane ignoto, a Qu. Lutatio consule, unde factum esse, ut tum Plautius, tum Catulus lator eius appellaretur. Quam sententiam Langeus quoque ita amplexus est, ut Plautio tribuno legis ferendae auctorem et suasorem fuisse Catulum existimet[7]. Sed

---

[1] Lange, Röm. Alt. III, p. 175. II, p. 666.

[2] Disputarunt de his legibus Rein, Real-Enc. VI, p. 2674 seqq.; Orelli, Index legum in Onom. Tull. III, p. 333—43, ubi exscripsit disputationem Waechteri, Neues Archiv des Criminalrechts, 13 (1833); Zumpt, Criminalrecht II, 1, p. 266—81; alii.

[3] Sall. Cat. 31.

[4] Cic. Cael. 1, 1 et 29, 70.

[5] Cic. Cael. 29, 70.

[6] Sigon. de iud. lib. II, c. 33, in Graevii Thes. (Trai. ad Rh. Lugd. Bat. 1694), Tom. II, p. 1794.

[7] Eadem revera videtur fuisse Sigonii sententia, si quidem (ib. paullo infra) dicit legem ex auctoritate consulis Catuli latam.

neque facile intelligitur, quomodo lex a tribuno et a consule communiter ferri potuerit, neque potest cogitari eodem anno de eadem re et tribunum et consulem separatim suam quemque legem tulisse, neque si Catulum impulsorem tantummodo et adiutorem Plautius habuit, recte Cicero dicere potuit legem Catulum tulisse. Apparet igitur hunc Plautii tribunatum plane in coniectura esse positum duasque fuisse de vi leges separatas, Plautiam et Lutatiam. Quarum utra prior, utra posterior sit, non hic est diiudicandi locus, neque quae inter eas intercesserit necessitudo; illud certe manifestum est, nihil allatum esse argumenti, unde pro certo concludendum sit, legem tribuniciam eo anno esse rogatam.

Alteram legem affert Plautiam de reditu Lepidanorum Hanc legem tantum cognovimus ex Suetonii Caes. 5[1], qui tradit eam Caesarem suasisse, et ex Gellio 13, 3, qui idem fere docet. Cuius de tempore multae sunt ac variae sententiae. Fischero videtur lata esse a. 677/77 statim compressa Lepidi seditione, Langeo a. 681/73, Reinio circa a. 684/70, Drumanno a. 684/70 aut post id tempus, similiterque Zumptio[2]. Vix credibile est, antequam bellum Sertorianum compositum esset et Pompeius ex Hispania redisset, veniam atque impunitatem Lepidanis esse concessam; maximeque consentaneum videtur id factum esse post compositionem concordiaeque reconciliationem inter partes consulatu Pompeii et Crassi 684/70 effectam. Ex Suetonii loco id tantum colligitur, legem, quam tribuniciam fuisse nusquam definite traditum est, ante quaesturam Caesaris latam esse, quo magistratu ille a. 686/68 aut certe non ante 685/69 functus est.

Porro Langeus iudicavit[3] Pompeium a. 674/80 et 683/71 triumphum agere non potuisse, nisi plebiscitis ei datum esset, ut quo die triumphans in urbem inveheretur, ei imperium esset. Cur autem plebiscitis? Sic quidem fiebat more usitato, sed num

---

[1] Suet. Caes. 5 *L. Cinnae uxoris fratri et qui cum eo civili discordia Lepidum secuti post necem consulis ad Sertorium confugerant, reditum in civitatem rogatione Plautia confecit, habuitque et ipse super ea re contionem.*

[2] FISCHER, Römische Zeittafeln, eodemque modo IHNE, Röm. Gesch. VI, p. 14; LANGE, Röm. Alt. III, p. 185. II, p. 703; REIN, Real-Enc. IV. p. 991; DRUMANN, Gesch. Roms III, p. 139; ZUMPT, Crim. Recht. II, 1, p. 311.

[3] LANGE, Röm. Alt. II, p. 678, cfr III, p. 190.

erat etiam necessarium? Langeus ipse affert exemplum C. Pomptini, cui a. 700/54 ad eam rem imperium datum est lege praetoria; quae rogatio si contra leges est perlata, non ea causa fuit, quod eam praetor tulit, sed quod ante primam diei horam res cum populo acta est[1]. Iam uero legem, qua Pompeio 674/80 triumphandi causa venia data est Romam cum exercitu redeundi, Sulla ipse rogavit[2]; a qua si diversa fuit ea, quae de triumpho est lata, quae est Langei sententia, cur necessarium est eam habuisse latorem tribunum plebis?

Denique quod legem Viselliam, qua tribunis cura quaedam viarum data est, Langeus censet[3] esse legem tribuniciam a. 682/72, quum hanc legem non cognoverimus nisi ex titulo illo C. I. L. I N:o 593, de quo supra disputavimus, satis apparet, quod eius fuerit tempus, plane ex tempore plebisciti Termessensis esse iudicandum. Nec si necesse est Viselliam esse eo plebiscito antiquiorem, idcirco est in illud decennium, de quo nunc quaerimus, conferendum. Praeterea ne illud quidem exploratum est, legem eam fuisse tribuniciam. Idemque transferri potest in Willemsii sententiam[4], qui plebiscitum Antium legibus tribuniciis inter hoc annorum spatium latis annumerat. Nam si is C. Antius Restio, qui legem sumptuariam vel cibariam tulit[5], idem est atque ille, cuius nomen inter latores plebisciti de Termessibus reponendum est, quod ille pro certo habet, non plus inde efficitur, quam eiusdem anni esse legem Antiam et plebiscitum de Termessibus.

IV.

Iam veniendum est ad locum illum Appiani B. C. 1, 59. Quo loco narratur Sulla in primo consulatu 666/88, quum urbe vi potitus esset, ubi populares duce S. Sulpicio Rufo multa turbaverant, simul cum collega Qu. Pompeio concilium populi statim convocasse, ibique deplorasse et calamitatem civitatis, quae

[1] Dio Cass., 39, 65. LANGE, l. c. III, p. 358.
[2] Sall. apud Gell. 10, 20 (hist. 2, 12 D). LANGE, l. c. III, p. 168.
[3] LANGE, Röm. Alt. II, p. 695.
[4] WILLEMS, Le sénat de la rép. rom. II, p. 104.
[5] Vide supra p. 17.

iam diu in manibus fuisset hominum assentando et blanditiis favorem multitudinis captantium, et miseram suam collegaeque fortunam, qui ad se atque rempublicam defendendam vi grassari coacti essent. Deinde sequuntur haec: ἐσηγοῦντό τε μηδὲν ἔτι ἀπροβούλευτον ἐς τὸν δῆμον ἐσφέρεσθαι, νενομισμένον μὲν οὕτω καὶ πάλαι, παραλελυμένον δ' ἐκ πολλοῦ, καὶ τὰς χειροτονίας μὴ κατὰ φυλὰς ἀλλὰ κατὰ λόχους, ὡς Τύλλιος βασιλεὺς ἔταξε, γίγνεσθαι, νομίσαντες διὰ δυοῖν τοῖνδε οὔτε νόμον οὐδένα πρὸ τῆς βουλῆς ἐς τὸ πλῆθος ἐσφερόμενον οὔτε τὰς χειροτονίας ἐν τοῖς πένησι καὶ θρασυτάτοις ἀντὶ τῶν ἐν περιουσίᾳ καὶ εὐβουλίᾳ γιγνομένας δώσειν ἔτι στάσεων ἀφορμάς. πολλά τε ἄλλα τῆς τῶν δημάρχων ἀρχῆς τυραννικῆς μάλιστα γεγενημένης περιελόντες κατέλεξαν ἐς τὸ βουλευτήριον, ὀλιγανθρωπότατον δὴ τότε μάλιστα ὂν καὶ παρὰ τοῦτ' εὐκαταφρόνητον, ἀθρόους ἐκ τῶν ἀρίστων τριακοσίους.

Haec igitur maxime ad rempublicam stabiliendam a Sulla facta commemorat: primum duas rogationes latas, alteram ne quid postea ad populum ferretur nisi de senatus sententia, alteram ut in comitiis centuriatim, non tributim populus in suffragium mitteretur; tum aliis multis in rebus tribuniciam potestatem esse imminutam; postremo auctum senatus numerum trecentis ex optimis viris in eum ordinem lectis. Haec quum non ab omni parte dilucide exposita sint, sed habeant de quibus dubitari possit, tum duo sunt, quae diligentiorem disputationem desiderent, unum quid fuerit in ipsis rogationibus scriptum, alterum quo tempore sint illae latae; Appianus enim eas facit ferentem Sullam primum consulem a. 666/88, non Sullam dictatorem a. 673/81.

Ac primum quidem de duabus illis rogationibus, si quis nulla praesumpta opinione ea reputat, quae de iis ab Appiano narrata sunt, sic videtur esse existimandum. Priore illa de senatu super legibus ante consulendo id actum est, ut quidquid ad populum ferretur, a senatu ante disceptaretur atque approbaretur, eo scilicet consilio, ut quod optima republica semper Romanis in consuetudine fuerat, sic renovaretur atque lege confirmaretur. Nam eo tempore, quum disciplina reipublicae Romanae cum summa civitatis salute erat ex potestate magistratuum, ex auctoritate senatus, ex maiestate populi optime temperata, quum constituta inter cives iuris aequabilitate domesticae res composite et quiete agitabantur et penes senatum erat revera omnes

reipublicae partes in unum continendi unoque consilio publica negotia administrandi vis, sic fieri solitum erat, ut et patricii magistratus et tribuni plebis, quidquid de republica administranda ad populum plebemve ferrent, ad voluntatem senatus sese accommodarent. Quod quamquam non erat definite lege praescriptum, sed, ut ait Appianus, tantum νενομισμένον, neque is mos semper servatus est, tamen ita fieri rectae disciplinae bonique moris esse putabatur. Quae rogatio ita lata erat, lata dicebatur vel *de sententia senatus*[1] vel *ex sententia senatus*[2] vel *ex senatus consulto*[3]*;* dicebatur etiam, id quod Livius plurimis locis habet, lata *ex auctoritate senatus*[4], quamquam haud scio an recte Mommsenus docuerit, sic non proprie dictum esse neque omnino liberae reipublicae temporibus, sed Livium in hac re, sicut in aliis, a publicae consuetudinis proprietate, quam servabat libera respublica, discessisse. Apparet sic provisum eos voluisse, ne quid temere atque inconsiderate a populo iuberetur. Itaque apud Appianum Cassius ante pugnam Philippensem sic ad milites loquitur: »in pace senatus rem ante deliberat, ne vos errore decipiamini, ipsi autem iudicatis atque iubetis tributim vel centuriatim»[5]. Nec vero raro aut nonnumquam, sed plerumque

---

[1] Cic. Balb. 24, 55. Liv. 25, 7. Macrob. Sat. 3, 17, 2 Eyss.

[2] Cic. Balb. 8, 19.

[3] Cic. Clu. 49, 137. Rep. 3, 18, 22. Ascon. in Mil. arg. p. 31 Kiessl. Cfr Mommsen, Röm. Staatsr. III, p. 996. Non recte igitur Zumptius inter duas illas loquendi formulas: »de (ex) sententia senatus» et »ex senatus consulto» aliquantum interesse vult, quum in sententia Mommseni de plebiscito Termessensi reprehendenda dicit (l. c. p. 434), si plebiscitum illud documento futurum esset, ex senatus consulto tribunos plebis legem ferre potuisse, scriptum esse in praescriptione legis debuisse non *de senatus sententia,* sed *ex senatus consulto* tribunos plebem rogasse. An quisquam credit, ut locis ab ipso allatis utar, aliud Ciceronem significare voluisse, quum dicit Balb. 8, 19 *ex ea lege quam L. Gellius Cn. Cornelius ex senatus sententia tulerunt,* aliud quum dicit Clu. 49, 137 *num istam legem ex isto senatus consulto Lucullus tulerit?* Similiter quum in opere quodam vel faciendo vel probando (exempla vide ap. Mommsenum, Röm. Staatsr. III, p. 996 adn. 3, add. Cic. de div. 1, 2, 4) aliquid tum de senatus sententia, tum ex senatus consulto factum esse dicitur, utrumque sine dubio idem valere existimandum est.

[4] Vide Mommsen, Röm. Staatsr. III, p. 1033 adn 2. Becker-Marquardt, Handb. der röm. Alt. II, 3, p. 118.

[5] App. B. C. 4, 92 τὸ κῦρος τόδε ἐν τοῖς εἰρηνικοῖς ἐφ᾽ ἡμῶν ἀντιλαμ-

id factum erat, ut tribuni quoque rogationes suas ferrent ex auctoritate senatus, adeo ut si quid adversus voluntatem senatus vel tribuni rogassent vel plebs scivisset, non id quidem contra legem, sed contra rempublicam factum videretur[1]. At Gracchanis temporibus iisque, quae postea secuta sunt, res scilicet plane erat mutata. Erat igitur haec Sullae rogatio antiqui illius atque integri moris renovatio, ita ut quod antea usu tantummodo receptum fuisset, id sanctione legis firmaretur atque muniretur

Altera autem de comitiis rogatio, ut centuriatim, non tributim populus in suffragium mitteretur, vix dubium est, quin id argumenti habuerit, ut conciliis plebis, ubi tributim suffragia ferebantur, potestas demeretur legum sciscendarum, quibus conciliis quum tribuni plebis praessent in iisque dominarentur, non solum ea, quae in republica administranda sibi proposuerant, ita obtinebant, sed etiam id acerrimum telum habebant ad opes senatus atque nobilitatis frangendas. Idque ita esse ex iis etiam facile colligitur, quae de causis rei Appianus addidit, remotum iri causam materiemque seditionum, si non penes pauperes homines et audaces, sed penes eos, qui rerum opulentia et prudentia consilii valerent, decernendi arbitrium esset.

Ita sibi rem informare Appianum legenti facillime in mentem venit, nec dubium est, quin antiquiores omnes sic eum locum intellexerint. Haec autem interpretatio cum ratione eorum non convenit, qui tribunis quandam legum ferendarum potestatem a Sulla tributam volunt; alia igitur excogitata est. Atque illud, quod de senatu, antequam res ad populum ferretur, consulendo scriptum est, non ad patricios magistratus pertinere existimant, sed tantummodo ad tribunos. At ut ex Appiano illud efficiatur, ad verba illa, quae sunt μηδὲν ἔτι ἀπροβούλευτον ἐς τὸν δῆμον ἐσφέρεσθαι, cogitatione quodammodo adicitur ὑπὸ τῶν δημάρχων, quod vereor ne minus recte fiat, etiamsi adversus tribunos maxime id cautum esse concedendum est; et vix tantum tribuendum est verbis Appiani, quae paullo infra leguntur de legibus ad plebem ferendis (οὐδένα νόμον πρὸ τῆς βουλῆς ἐς τὸ πλῆθος ἐσφερόμενον),

---

βάνετε αὐτοί, προβουλευούσης μὲν τῆς βουλῆς, ἵνα μὴ σφαλείητε. κρίνοντες δ᾽ αὐτοὶ καὶ ψηφιζόμενοι κατὰ φυλὰς ἢ λόχους.

[1] Cfr BECKER-MARQUARDT, Handb. d. röm. Alt. II, 3, p. 118—19.

ut inde concludendum sit de tribunis tantummodo in lege actum esse[1]. Atque omnino de huius rogationis consilio sic iudicant, id quod iam supra diximus, non esse ea redintegratum morem ex melioribus reipublicae temporibus traditum, ut de legibus, quae ferrentur, senatus a magistratibus ante consuleretur, sed restitutam esse eam conciliorum plebis condicionem, quae ante legem Hortensiam fuerat, quum ita demum plebiscita totum populum tenerent, si ea ante senatus probavisset[2]. Nam sic tum id ius fuisse circumscriptum maxime verisimiliter viri docti coniecerunt, etsi argumentis plane certis omnemque dubitationem eximentibus ea res demonstrari non potest.

Iam vero manifestum est cum illorum de priore rogatione opinione posteriorem rogationem, qualem nos eam intelligimus, constare non posse. Repugnant enim haec duo inter se, cavere, ut rogationum tribuniciarum penes senatum arbitrium sit, eodemque tempore cavere, ne quid suis conciliis plebi sciscere liceat, id est enim tribunis rogationum ferendarum potestatem adimere. Itaque ne haec quidem interpretatio iis probatur, sed plane aliter ea, quae de altera rogatione apud Appianum sunt, accipiunt. Non est, inquiunt, de conciliis plebis, sed de comitiis centuriatis scripta[3]. Et quum constet eam centuriarum descriptionem, quae a principio fuerat, ut magna cum veri similitudine docti viri putant, haud multo ante initium belli punici secundi ita esse mutatam, ut tribuum distributio cum distributione centuriarum quodam modo coniungeretur centuriaeque partes tribuum fierent, tum a Sulla rogatum esse dicunt, ut hic suffragiorum in comitiis centuriatis ferendorum modus aboleretur atque antiquissimus ille eorum comitiorum ordo restitueretur, qualis a Servio Tullio rege esset institutus. Talem vero ne legem fuisse interpretemur, multa apparet obstare, neque id fieri posse nisi verbis Appiani vi subiecta, quae et a sententia scriptoris et a tota loci ratione videatur aliena. Primum deest id, quod ipsum rei caput esse debebat: *in comitiis centuriatis*. Nam si adiectum esset· ἐν τῇ λοχίτιδι ἐκκλησίᾳ τὰς

[1] Id quod facit MOMMSEN, Röm. Staatsr. III, p. 158 adn. 2.

[2] MOMMSEN, Röm. Staatsr. III, p. 157—8.

[3] MOMMSEN, Zeitschrift für die Alterthumswiss. 1846, p. 105, et iam Röm. Tribus (1844) p. 112—13; Röm. Staatsr. III, p. 270 adn. 1; Röm. Gesch. II^8, p. 258—9; LANGE, Röm. Alt. III, p. 126.

χειροτονίας μὴ κατὰ φυλὰς ἀλλὰ κατὰ λόχους γίγνεσθαι, ita forsitan locus accipi posset, ut inter se opponerentur posterior centuriatorum comitiorum forma, ubi tribuum ratio habebatur, et antiquior illa, quae cum distributione tribuum nihil habebat commune, quamquam vel sic res satis obscure neque admodum subtiliter significata esset; sed ut nunc verba sunt, vix aliter intelligi possunt, quam ut inter se opponantur concilia plebis et comitia centuriata. Deinde verbis illis ὡς Τύλλιος βασιλεὺς ἔταξε significatio tribuitur, quae in iis inesse vix credi possit; nam ideo tantum ea verba addita sunt, ut apertius designarentur comitia centuriata, quae quum iam a Servio Tullio instituta crederentur, maxime iusta populi romani comitia habebantur[1] atque conciliis plebis tributisque comitiis et vetustate et dignitate potiora ad voluntatem populi declarandam. Eodemque fere modo alio Appiani loco[2] Tullii regis et Romuli nomina afferuntur ad ea universe significanda, quae erant antiquissimis temporibus constituta et a maioribus tradita. Accedit, quo facilius quid actum sit intelligatur, quod causam addit Appianus illius rogationis, in comitiis scilicet rerum arbitrium fore penes eos, quos et propter ampliores copias familiares et propter maiorem civilium rerum prudentiam spes esset melius reipublicae consulturos; qua ipsa re centuriata comitia conciliis plebis praestare putabantur[3]. Denique quod duabus rogationibus expositis Appianus addit alia multa de potestate tribunorum esse dempta (πολλά τε ἄλλα τῆς τῶν δημάρχων ἀρχῆς

[1] Cic. p. red. in sen. 11, 27.

[2] App. Pun. 118. Ibi narrat populo, quum 606/148 Scipionem Aemilianum consulem facere vellet, obstitisse consules, qui comitia haberent, quod ei nondum legitima aetas ad eum magistratum capiendum esset, at, inquit, ἐλιπάρουν καὶ ἐνέκειντο καὶ ἐκεκράγεσαν ἐκ τῶν Τυλλίου καὶ Ῥωμύλου νόμων τὸν δῆμον κύριον εἶναι τῶν ἀρχαιρεσιῶν καὶ τῶν περὶ αὐτῶν νόμων ἀκυροῦν ἢ κυροῦν ὃν ἐθέλοιεν.

[3] Cic. leg. 3, 19, 44 *Descriptus populus censu, ordinibus, aetatibus plus adhibet ad suffragium consilii quam fuse in tribus convocatus.* Praeterea notum est Dionysium Halicarnasseum sic semper τὰς φυλετικὰς ἐκκλησίας, i. e. concilia plebis, et τὰς λοχίτιδας ἐκκλησίας inter se opponere, ut in comitiis centuriatis patricios et divites, in conciliis plebis plebeios et pauperes plus valuisse dicat (11, 45 extr., cfr 7, 59. 8, 6); qui quamquam de rebus antiquorum temporum loquitur neque totam rem satis videtur habuisse explicatam, tamen inde sine dubio iudicandum est, quid de hac re senserint ii, qui veteres annales composuerunt.

περιελόντες), eum sic iudicasse apparet, etiam priora pertinuisse ad potestatem eorum coercendam, sed non facile intelligitur, quid mutatus in comitiis centuriatis suffragii ferendi modus ad tribunos circumscribendos momenti habere potuerit. Mihi quidem non dubium videtur, quin si Appianus his verbis antiquam centuriarum descriptionem significare voluerit, ita ut ei, qui tum erat, ordini opponeretur, haud magnae ei curae fuerit, ut quid dictum vellet, intelligeretur.

Dicet fortasse aliquis: sint haec ita, sed Appianus, quid auctores sui habuerint, non recte intellexit, qui hoc ipsum dixerunt, Sullam in constituenda comitiorum ratione ad antiqua reditum voluisse. Sed iure quaeritur: quo tandem consilio Sullam priscam illam centuriarum descriptionem reduxisse putandum est, cuius iamdiu memoria ex animis hominum paene oblitterata erat, ita ut qualis revera esset quidque ea posset effici, eo tempore vix quisquam recte cogitatione sibi fingere posset? Dictum est hanc legem impedimento fore, ne comitia consulum, praetorum, censorum ex sententia popularium evenirent[1]. Sed si hoc actum est, certe ad exspectationem res non respondit. Nam eodem iam anno, quum Sulla ipso praesente ac prope inspectante comitia consularia haberentur, non ex sententia ei res cessit; itaque non satis feliciter excogitatum neque efficax fuisse id remedium videtur. Neque postea, quum Sulla unus ad suum arbitrium omnia administrabat, videmus in comitiis centuriatis alio modo factam esse suffragiorum lationem, quam ante id tempus et post facta est. Quum centuriarum descriptio ante secundum punicum bellum novata est, id quidem sane datum sit iis, qui populari rationi studebant, ut suffragia hominum minus locupletium in comitiis plus quam antea possent[2], quamquam de ea quoque re inter doctos dissensio est; sed tamen neque ante Sullae tempora neque post ea quemquam questum esse cognovimus, quod his in comitiis

---

[1] Lange, Röm. Alt. III, p. 126. Mommsen, Röm. Gesch. II[7], p. 258 Quae praeterea a Mommseno disputata sunt de mutata eo tempore fortunarum omnium condicione deque censuum summis ad eorum temporum rationes non accommodatis, ea magis infinite et universe dicta videntur, quam ut inde certi aliquid effici possit.

[2] Dion. Hal. 4, 21. Cfr Mommsen, Röm. Staatsr. III, p. 270; Lange, Röm. Alt. II, p. 513.

plurimum valerent homines propter paupertatem ad quidvis audendum promptos, qui ab Appiano οἱ πένητες καὶ θρασύτατοι appellantur, sed conciliis plebis id ipsum vitio dabatur. Et quae tandem haec esset reipublicae constituendae prudentia ea concilia retinere, ita quidem si senatus accederet auctoritas, centuriata autem comitia non solum ita mutare, ut plane exoleta et vetustate ab usu intermissa revocarentur, sed etiam ab auctoritate senatus libera relinquere, quae antea si non iure, at re necessaria existimata esset. Itaque quum posterior illa rogatio ad concilia plebis pertineat necesse sit, prior rogatio non potest esse tantummodo de tribunis plebis lata. Quod si ita est, hac rogatione non illatam esse putandum est mentionem de lege Hortensia abroganda, quamquam ita revocata est quodammodo conciliorum plebis ante eam legem condicio, sed id tantum actum, ut antequam ad populum plebemve aliquid ferretur, de ea re senatus ante consultaret, ita ut quidquid ferretur, id de senatus sententia ferretur.

V.

Cum iis, quae supra disputata sunt, quodammodo coniuncta est alia quaestio, rectene dictum sit[1], seditiones a Cinna Marioque et a Lepido motas eaque, quae tum in republica gesta sint, documento esse, legem Sullanam de senatu ante consulendo consules non tenuisse, eamque ipsam ob causam earum seditionum duces consules, non tribunos fuisse; quamobrem de ea re nonnulla adicere alienum non erit. Omnino de his rerum motibus ea quidem cognovimus, ut universum rerum cursum et quid utrique in republica certantes sibi proposuerint, quid secuti sint, satis perspicere possimus, sed non adeo accurata et ad singulas res illustrandas apta nobis sunt memoriae prodita, ut quomodo in unaquaque re suscipienda aut peragenda ad praescripta formulasque legum aut ad morem in publicarum rerum tractatione receptum actiones suas accommodarint, certa nobis diiudicatio sit. Velut in illa rerum perturbatione a. 667/87, quae fuit initium belli Octaviani, quamquam Cinna totius rei gerendae auctor fuit et princeps, vix tamen pro explorato haberi potest, utrum leges ad consilia perficienda

[1] Mommsen, Röm. Gesch. II[8] p. 351 adn.

spectantes omnes consulares fuerint an tribunorum quoque ius legum ferendarum usurpatum sit, si quidem Appianus diserte dicit[1] tribunicia lege Marium esse de exsilio revocatum, idque ita fuisse confirmat Cicero[2], alii[3] vero ita de ea lege loquuntur, ut ab ipso Cinna rogatam credas. Quod autem Cinna sua sponte, non de senatus sententia leges eas tulit, a quibus initium factum est seditionis post profectionem Sullae ortae bellique Octaviani — nam consilia eius, contra tendente Octavio collega, non fuisse probata maiori parti senatus vix dubium est — neque primum neque unum hoc testimonium habemus, unde appareat, Romae his praesertim turbulentis temporibus aliud fuisse legem esse perlatam, aliud in usum translatam, ita ut ea se homines teneri arbitrarentur. Neque mirum est, quum Sulla a rerum procuratione se ipse removisset, quae ab eo constituta essent, pro nihilo esse habita, etsi non statim leges ipsae abrogatae sunt. Certe popularis partis homines quam in legum praescriptis moreque recepto observandis non fuerint diligentes, si consiliis suis obstarent, ex multis rebus satis apparet; constat, ut alia omittam, consules sine comitiis populi esse factos, Cinna et Carbone ipsis sibi magistratus continuantibus. Haec autem civilis dissensio armata potissimum fuit dissensio, et si ducibus opus erat consulibus, qui soli exercitum, cui imperarent, haberent, ea maxime videtur causa fuisse, quod vi et armis obtinendum erat, quod appetebatur. Atque tribunos per hos popularis dominationis annos minus etiam quam antea, quum penes optimates summa rei esset, actionem rerum suscipere videmus; neque enim quod auctoritati senatus demptum est, id aut libertati populi aut tribunorum potestati adiectum, sed omnis potentia in factionis principes cessit, qui nomine magistratuum paene tyrannorum in modum in republica dominabantur.

Idemque fere dicendum est de altera quoque seditione, quae a Lepido mota est. Nam de hac quoque obscurum est, qui modus tum fuerit rogandarum legum, atque etiam illud incertum, utrum revera omnes rogatae sint de iisque in comitiis actum necne; certe ad id probandum vix illud valet, quod apud Tacitum est

[1] App. B. C. 1, 70.

[2] Cic. p. red. in sen. 15, 38; p. red. ad Quir. 4. 10 *tribuniciis illi rogationibus nulla auctoritate senatus sunt restituti.*

[3] Dio Cass. fr. 100, 8 Melb. Vell. 2, 21.

de turbidis Lepidi rogationibus[1]. Rogationes eius, quum iis obsisteret Catulus collega, perferri non potuerunt; uni tantummodo rogationi frumentariae Catulus non adversatus est[2], quod ita sine dubio accipiendum est, ut eam senatum approbasse putemus, eamque unam perlatam esse probabile est. Omnino iam tum eo perventum erat, id quod primum Caesare, deinde triumviris rerum summam tenentibus, postea principatus temporibus erat manifestum, ut in senatu non ea libertatis et constantiae vis inesset, ut potentibus iis hominibus, penes quos esset imperium, resistere posset. Itaque videmus in hac civium dissensione hunc ordinem media consilia probare et inter factionum principes pacem componere studere; videmus iureiurando eos adigere alterum contra alterum arma non sumpturos; videmus Lepido condiciones ferre et se omni periculo defunctum sperare, si ille in provinciam abisset. Insequenti anno 677/77 Lepidus, quum exercitu comparato aperte hostilia auderet, et sibi consulatum et reipublicae restitutionem tribuniciae potestatis ceteraque, quae popularis causae adiuvandae et confirmandae esse existimabantur, postulavit. Haec ut impetrarentur, cum senatu actum esse quid est aliud quam voluisse eum, quae postularet, a senatu approbata, ut postea de ea re ad populum ferretur, quem rogationes accepturum non videbatur dubitandum. Tota igitur haec rei tractatio magis documento est senatui ius fuisse rogationes ante approbandi, quam nulla opus fuisse rei ad senatum relatione. Praeterea ea est huius rei ratio, ut facile cogitari possit ante palam factum esse vel palam fieri potuisse, quid lege quis rogaturus esset, quam senatus de re consuleretur, etiamsi ipsa legis promulgatio tum demum facta sit, quum res esset a senatu approbata. Neque desunt exempla, unde colligi possit ita actum esse. Velut de lege Iulia agraria, quam tulit Caesar a. 695/59, Dio Cassius narrat[3] Caesarem primum de re ad senatum retulisse, si posset ad legem perferendam eius ordinis uti auctoritate, et postea demum, quum haec eum spes fefellisset, decrevisse vel adversante senatu apud populum rem peragere. Aliud exemplum est, quod Appianus tradit[4] de lege Antonia de

[1] Tac. Ann. 3, 27.
[2] Gran. Lic. p. 43 Bonn.
[3] Dio Cass. 38, 1—3.
[4] App. B. C. 3, 30 ὅ τε νόμος ὁ περὶ τῆς Κελτικῆς προυγράφετο αὐτίκα,

permutatione provinciarum a. 710/44. Quam legem propositam esse ait metuentibus et sic obviam euntibus senatoribus, ut si ad senatum res relata esset, suis se sententiis legem prohibituros sperarent, sin senatu non consulto ad populum ferret, tribunos ad intercedendum adducturos. Ex earum igitur rerum, quae seditionibus a Cinna et Lepido motis actae sunt, consideratione satis mihi apparere videtur, quam nihil inde eorum sententiae firmamenti accedat, qui de Sullanis legibus sic iudicant, ut consulibus leges ad populum ferentibus nulla opus fuisse senatus auctoritate arbitrentur.

VI.

Huic autem Appianei loci interpretationi, quam supra defendere conati sumus, sic fortasse a quopiam occurritur: si posteriore rogatione de suffragiis centuriatim ferendis tribunis revera ius legum ferendarum ademptum est, necesse est Appianum sensisse priorem rogationem ad solos consules pertinuisse; ac tamen a tribunis maxime periculum ostendebatur potentiae nobilitatis eorumque ius circumscribi opus erat, consules certe hac sua potestate adversa senatus voluntate non saepe usi erant, ita ut lege eam definiri necessarium videri posset. Quod quum non sine causa sit reprehensum, facile traducimur ad alteram quaestionem, quam locum Appiani consideranti oriri diximus: quo tempore facta sunt haec, quae Sullam fecisse Appianus narrat? num eo anno, in quem Appianus ea coniecit, i. e. Sulla consule a. 666/88? Hoc plerique nunc pro vero sumere videntur, Mommsenus ceterique omnes recentiores, qui sententiam eius sequuntur, etiam Zumptius[1], qui ceteris in rebus plane aliam rei explicandae viam ingressus est. Sunt tamen, qui contra sentiant[2]; ac revera satis probabile

ὀρρωδούσης πάνυ τῆς βουλῆς καὶ ἐπινοούσης, εἰ μὲν ὁ Ἀντώνιος αὐτὸν προβουλεύοι, κωλύειν προβουλευόμενον, εἰ δὲ ἀπροβούλευτον ἐς τὸν δῆμον ἐσφέροι, τοὺς δημάρχους ἐς κώλυσιν ἐπιπέμπειν.

[1] ZUMPT, Crim. Recht II, 1, p. 295—7.

[2] Velut DRUMANN, Gesch. Roms II, p. 438 et MADVIG, Den rom. Stats Forfatning og Forvaltning I, p. 202, 390. In eadem sententia antea fuit MOMMSEN, Röm. Trib. p. 112. Etiam IHNE, Röm. Gesch. V, p. 290, magnopere dubitat, verene haec Appianus tradiderit.

videtur hic perturbatum esse quodammodo temporum ordinem et Appianum in primi consulatus annum ea transtulisse, quae ad ius tribunatus imminuendum a Sulla dictatore a 673—4/81—80 acta sunt. Atque ita cur credendum sit, haec potissimum afferri possunt

Primum Appianus narrat Sullam praeter rogationes, de quibus diximus, non solum alia multa constituisse, ut potestati tribunorum modus imponeretur, sed etiam senatus numerum auxisse trecentis novis lectis senatoribus. Quae lectio tum certe non facta est; aliter scriptum sine dubio legeremus novos senatores tum in senatum venisse et postea a Marianis Cinnanisque, quum rerum potiti essent, eiectos esse. Dicunt quidem nonnulli inde conciendum esse eam rem, etsi a populo sit decreta, non esse perfectam; sed haec certe non Appiani narratio est, qui dicit eos in senatum lectos (κατέλεξαν ἐς τὸ βουλευτήριον). Contra quum satis certum sit et ex aliis auctoribus et ex Appiano ipso[1] Sullam in dictatura numerum senatus auxisse, facilius et maiore cum causa concluditur, si in hac re temporum ordo servatus non sit, fieri potuisse, ut etiam aliis in rebus idem error committeretur.

Deinde is, qui periochas Livianas scripsit (ep. 89), admodum accurate pleraque complectitur, quae a Sulla dictatore ad statum civitatis confirmandum acta sunt[2], inter quae modum tribuniciae potestati impositum commemorat his verbis: *tribunorum plebis potestatem minuit et ius omne legum ferendarum ademit;* de anno autem 666/88 (ep. 77) nihil est apud eum nisi hoc: *L. Sulla civitatis statum ordinavit;* quae verba facile referri possunt ad leges Sulpicias sublatas ceteraque haud ita late patentia, quae tum a Sulla esse consulta provisaque verisimile est. Contra in narrandis iis, quae a Sulla dictatore ad tribuniciam potestatem infirmandam acta sunt, Appianus[3] nihil habet nisi hoc satis infinite dictum,

---

[1] App. B. C. 1, 100, ubi de senatu idem fere narrat, quod 1, 59.

[2] Liv. Ep. 89 *Legibus novis reipublicae statum confirmavit; tribunorum plebis potestatem minuit et omne ius legum ferendarum ademit; pontificum augurumque collegium ampliavit; senatum ex equestri ordine supplevit; proscriptorum liberis ius petendorum honorum eripuit et bona eorum vendidit, ex quibus plurima rapuit,* et quae sequuntur.

[3] App. B. C. 1, 100 τὴν τῶν δημάρχων ἀρχὴν ἴσα καὶ ἀνεῖλεν, ἀσθενεστάτην ἀποφήνας, καὶ νόμῳ κωλύσας μηδεμίαν ἄλλην τὸν δήμαρχον ἀρχὴν ἔτι ἄρχειν· διὸ καὶ πάντες οἱ δόξης ἢ γένους ἀντιποιούμενοι τὴν ἀρχὴν ἐς τὸ μέλλον ἐξετρέποντο.

eum tribuniciam potestatem maxime debilitasse et tantum non sustulisse; id unum novum atque definitum addit, quod quidem maximi momenti est, iis qui tribunatum gessissent, omnem eum spem abscidisse ex tribunatu maiorem honorem adipiscendi. Id igitur inter Livii et Appiani narrationem interest, quod ea, quae ad tribunorum ius coercendum maximum facerent momentum, Appianus Sulla primum consule, Livius Sulla dictatore constituta vult. Sine dubio Livius rectius temporum ordinem servavit, rectius etiam res ipsas exposuit. Nam ne tum quidem, quum dictator rempublicam constituit, Sulla concilia plebis sustulit; remanebant creandorum magistratuum causa, neque usquam scriptum reperimus, Sulla dictatore et decem illis annis, quibus leges eius valebant, alio modo tribunos creatos esse atque ante id tempus et postea. Neque revera ipsa concilia plebis sublata voluit, sed oppressam tribuniciam potestatem, quamquam scilicet ea concilia magna parte potestatis et ea potestate, quae civitati maxime erat periculosa, privata sunt, quum tribuni ius legum ferendarum amiserunt. Appianus igitur, si summam rei spectamus, a vero haud multum aberravit, si quidem iuris illa imminutio proxime ad tribunos, sed per eos ad concilia plebis pertinebat. Praeterea Sullam tum non potuisse graviorem tribuniciae potestati plagam infligere, nedum ut concilia plebis tolleret, vel inde colligitur, quod initio anni insequentis ei a tribuno dies dicta est[1]; ex illo autem tempore, quum leges Sullae vigebant, diei dictiones tribunorum nullas commemoratas cognovimus.

Denique illud considerandum est — cuius rei quanta vis sit, brevissime sed satis graviter significavit Madvigius — neque tum Sullam tantum opibus et auctoritate valuisse, ut quidvis audere posset, neque eum fuisse civitatis statum, ut tam fortia remedia desiderari viderentur. Nondum populares, Mario Cinnaque ducibus, sceleribus scelera cumulaverant; quae ad id tempus peccaverant, pro nihilo habenda erant prae iis, quorum postea culpam sustinebant. Et qualis erat ipsius Sullae condicio? Qui ut legibus a Sulpicio popularium duce latis obsisteret, nihil aliud, quo confugeret, habuerat, quam ut ferias indiceret re in religionem versa; deinde tumultum concitantibus adversariis ipsisque consulibus vim intentantibus et id edictum revocare et ipse Roma cedere coactus

[1] Cic. Brut. 48, 179; Plut. Sulla 10 extr.

erat; postremo quum sex cum legionibus redisset atque urbe facili negotio potitus esset, quamquam ibi omnium rerum erat potens, tamen haud ignorabat, quidquid posset, id totum in virtute ac fide exercitus sui positum esse. Neque ei consilium erat Romae remanere, sed trahebat cupiditas primo quoque tempore adversus Mithridaten ducendi, ubi et imperii romani et suae gloriae melius consulere posset; itaque si compositio quaedam et pactio cum factione adversariorum fieri posset, in praesentia saltem haud abnuebat. Accedebat, quod neque consularia comitia neque tribunicia ut ex sua sententia evenirent perficere potuit, sed et consul factus est L. Cinna, ex adversa factione vir et Sullae inimicus, nec ad alios magistratus suffragatio eius valuit, quin candidati duo, quibus favebat, repulsam ferrent. Denique Romae deposito consulatu timebat, ne vitae suae insidiae fierent, atque etiam a tribuno plebis ei dies dicta est, neque se in tuto esse credebat, nisi quum Capuam ad exercitum suum profectus esset. Ex his igitur intelligi potest non tam firmam atque stabilem auctoritatem eius in republica fuisse, ut tamquam nihil obstaret, omnia ad suum arbitrium administrare posset. Quae quum ita essent, num qua spes ei fuit tot tantasque res moliendi, ut novum senatum efficeret, ut tribunorum potestatem paene perverteret, ut conciliis plebis legum iubendarum ius adimeret? Et num esset hominis reipublicae constituendae ac regendae scientissimi ad ea perficienda aggredi, quae simul ipse e conspectu discessisset, mox irrita fore atque infecta satis ei posset esse persuasum?

Plane alius erat rerum status, quum e bello Mithridatico rediit recentium victoriarum gloria nitens. Populares per sex illos saevissimae dominationis annos tot se maleficiis obstrinxerant tantumque in odium venerant, ut Sulla libertatis vindex et reipublicae restitutor multis venire videretur. Bello duorum annorum gravissimo maximeque cruento gradatim eo rem perduxerat, ut Italiae dominus esset. Idem quum proscriptionibus inimicos exstinxisset, sperare poterat, fore ut per aliquot annos nullo impediente, ita ut vellet, id opus reipublicae reficiendae atque reformandae, quod animo agitabat, instituere et perficere sibi liceret; neque dubium est, quin tum certam eius rei instituendae rationem ab omni parte animo descriptam habuerit. Compertum enim est eum a. 671/83 cum Scipione consule egisse de disciplina civitatis

constituenda quidque iuris ac potestatis esset iis reipublicae partibus tribuendum, inter quas administratio rerum esset communicanda[1]. Contra Sullam, quae videtur esse Zumptii sententia, iam in primo consulatu formam habuisse descriptam earum legum, quibus postea dictator rempublicam mutavit, vix credibile est. Itaque tum demum, quum devictis adversariis Sulla dictator omnia poterat, ea erant tempora, ut ad vires tribuniciae potestatis frangendas tanta tamque late patentia consilia cum aliqua spe rei bene gerendae fidenti animo suscipere posset.

Quod si recte supra ostendimus hac lege, de qua quaerimus, conciliis plebis ius legum sciscendarum esse ademptum idque a. 666/88 vix tentari potuisse manifestum est, neque rursus tota res ab Appiano conficta esse potest, quid restat aliud, nisi ut existimemus Appianum inter se commiscuisse et commutasse, quae de potestate tribunorum a. 666/88 et quae a. 673/81 rogata sunt? Quod eo facilius fieri potuit, quod apparet eum in primum Sullae consulatum, non ut alii auctores in dictaturam eius eas leges, quibus maxime ius eius magistratus est deminutum, contulisse. Praeterea Appianum in temporibus notandis saepenumero errasse iam Drumannus ostendit[2], eundemque ceteroquin in rebus narrandis atque ordinandis vera falsis confudisse ob eamque rem non tanta fide esse dignum, quanta ei plerumque tribuitur, nuperrime docuit Schwartzius[3].

Contra ea satis probabile videtur legem de consulendo ante senatu eo anno (666/88) a Sulla esse rogatam. Neque enim nisi duarum illarum rogationum tempora distinguendo tollitur repugnantia, quae semper quodammodo remanet, si eiusdem temporis fuisse creduntur. Praeterea nihil magis in promptu erat, ut provideretur, ne quid temere aut malo publico a populo iuberetur. Duo

[1] Cic. Phil. 12, 11, 27 *Sulla cum Scipione inter Cales et Teanum, quum alter nobilitatis florem, alter belli socios adhibuisset, de auctoritate senatus, de suffragiis populi et de iure civitatis leges inter se et condiciones tulerunt.*

[2] Drumann, Gesch. Roms I, p. 81.

[3] Difficillima est de auctoribus Appiani quaestio, de qua re quum alii multi, tum diligentissime Schwartzius disputavit (Wissowa, Real-Enc. der class. Alterthumswiss. II in v. Appianus). Qui de hac re sic scribit (p. 225): »In der Mosaik sind gute und ächte Steine, aber die Zusammensetzung ist willkürlich und romanhaft so sehr, dass Wahres und Falsches nur mit sehr bedingter Wahrscheinlichkeit zu sondern ist»

tantum adversus rogationes tribunicias ii habebant praesidia, quibus salus publica erat curae, si ceteri tribuni intercederent aut si quid religio morae afferre posset. Quorum alterum quam invalidum esset, si tribuni inter se consentirent, facile apparebat; altero quoque parum profici Sulla ipse adversus tribunos expertus erat. Quod igitur aliud praesto erat perfugium, quam ut lege caveretur, ne quid nisi ante consulto senatu ad populum ferretur? Neque si ita caveretur, exceptas esse patriciorum magistratuum rogationes, id universae disciplinae et rationi reipublicae romanae morique a maioribus tradito erat consentaneum, ita ut neque ab optimatibus neque a popularibus ea res reprehendi posset. Ita legum condendarum cura et custodia ad eam reipublicae partem delata est, quam unam cum salute civitatis eam gerere posse aliqua spes erat, senatum. Nam populi in comitiis conciliisque leges sciscendi potestas eo tempore adeo soluta ac libera erat, adeo nullis circumscripta terminis, adeo ab omni cautione, ne quid peccaretur, destituta, ut summa inde pericula timeri possent. Quisquis consul erat, quisquis praetor, quisquis tribunus plebis, ei pro sua potestate licebat, comitiis vel concilio convocato, quidquid ei placebat, cuicuimodi id erat, iudicio populi plebisve subicere, unaque suffragiorum latio ad rem conficiendam satis erat, ita ut quod una plures tribus vel centuriae iussissent, id ratum firmumque esset eaque lege omnes cives tenerentur. Una ad id tempus fuerat malorum, quae inde oriri poterant, cautio, si senatus tantum auctoritate valeret, ut saluti publicae providere posset, sed quum id non iam satis esse videretur, verendum erat, ne respublica stare omnino non posset. Mentio igitur facile a prudentioribus inferri poterat, ut tentaretur, si quam auctoritatem ante senatus more tenuisset rogationes antequam ferrentur approbandi, ea lege ei tributa atque munita, maior in eo ordine vis esset ad tribunicios conatus reprimendos[1]. Hoc quoque praesidium vanum esse quum eventus rerum docuisset, Sulla dictator factus tempus esse existimavit magis efficacibus adhibitis remediis cavendi, ne quid perniciosa tribunorum consilia reipublicae nocerent.

Eo igitur, unde profecta erat, rediit disputatio nostra. Nam ab duobus antiquorum auctorum locis, unde potissimum petenda

[1] Cfr MOMMSEN, Röm. Gesch. II[8], p. 260.

est huius rei cognitio, argumentationis nostrae initium ductum est, uno Appiani, altero eius qui periochas scripsit Livianas. Quos inter auctores, quamquam de tempore rei discrepat, tamen de ipsa re non eam esse dissensionem demonstrare conati sumus, ut non quae ab altero narrata sunt, ab altero confirmari videantur. Atque ut eorum, quae dicta sunt, summam breviter comprehendamus, si Livium diserte scripsisse apparet ius legum ferendarum a Sulla tribunis esse ademptum, si Appianus ea de hac re tradidit, quae diligentius rem examinanti, si non cum Livio plane consentiant, at cum eius narratione pugnare non videantur, ad hoc si et plebiscitum illud de Termessibus post factum est, quam tribuni iura amissa recuperassent, neque omnino ullum legis indicium videtur exstare eo tempore, quum leges Sullanae vigebant, tribunis plebis ferentibus perlatae; satis argumenti nobis attulisse videmur, cur Sullam revera hanc potestatem tribunis ademisse neque recte antiquiorum scriptorum de hac re sententiam a recentioribus esse improbatam existimemus.